



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

55. De Transfiguratione Christi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

meam, & portæ inferi non prævalebunt ad-  
versus eam. *Matth. 16. & 15. 16. 17. 18.*

III. Et tibi dabo claves regni cælorum.  
Et quodcumque ligaveris super terram, erit  
ligatū & in cælis: & quodcumq; solveris su-  
per terram, erit solutum & in cælis. *Idem di-  
citur omnibus Apostolis Matth. 18. & 18.*

IV. Tunc præcepit discipulis suis, ut  
nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Chri-  
stus. *Matth. 16. & 20.* Comminatus est  
eis, ne cui dicerent de illo. *Marc. 8. & 30.*  
At ille increpans illos, præcepit, ne cui dice-  
rent hoc, dicens: Quia oportet filium ho-  
minis multa pati, & reprobari à senioribus,  
& principibus Sacerdotum, & Scribis, & oc-  
cidi, & tertiâ die resurgere. *Luc. 9. & 21. &  
22. Marc. 8. & 31.*

## MEDITATIO LV.

### *De Transfiguratione Christi.*

I. **A**sumpsit Iesus Petrum, & Iacobum,  
& Ioannem fratrem ejus, & ascendit  
in montem, ut oraret: & duxit illos in mon-  
tem excelsum seorsum solos. *Matth. 17. & 1.  
Marc 9. & 1. Luc. 9. & 28.*

II. Et facta est, dum oraret, species vul-  
tûs ejus altera, & vestitus ejus albus & re-  
fulgens. *Luc. 9. & 29.* Transfiguratus est an-  
te eos: & resplenduit facies ejus sicut sol;

C

vesti-

vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. *Matth. 17. v. 2.* Transfiguratus est coram ipsis : & vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, quæ lia fullo non potest super terram candida facere. *Marc. 9. v. 1. & 2.*

III. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias : *Matth. 17. v. 3.* & erant loquentes cum Iesu. *Marc. 9. v. 3.* Et ecce duo viri loquebantur cum illo : erant autem Moyses & Elias, visi in maiestate, & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Ierusalem. *Luc. 9. v. 30. & 31.*

## MEDITATIO LVI.

*De voce Patris celitus allapsâ.*

**P**etrus verò, & qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes, viderunt maiestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad IESUM : *Luc. 9. v. 32. & 33.* Domine, *Matth. 17. v. 4.* Rabbi, *Marc. 9. v. 4.* Præceptor, bonum est nos hic esse. *Luc. 9. v. 33.* Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyfi unum, & Elie unum : *Matth. 17. v. 4.* nesciens, quid diceret ; *Luc. 9. v. 33.* erant enim timore exterriti, *Marc. 9. v. 5.*

II. Hæc